ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Perillustris Domine

Hoc momento discedit Hagam paternus collega D. Knivius. quare ausus fui raptim dum paucu-lis onerare literis ut imperio tuo de paterna valetudine quamprimum cognoscere cupientis quam ocyssime defungerer. ut hac nocte intempesta domum appuli Amstelodamo, ubi fratrem polyposum inveneram, repperi patrem optimum sollicitudine de diuturna mea absentia prope exanimatum tum hydropicum totum, adeo ut nulla ferme in medicis ac Alcmariensibus tota in Deo spes sit. audio Amstelodami Judaeum esse qui praesens reme-dium adversus aquam intercutem si quid de se cre-ditur ipsi recutito Apellae, habeat; eo, si per vires Deo dante, aliquando liceat, patrem deducere decretum habemus. interea orabi-mus ἀδιαλείπτως patrem nostrum in coelis ut clementer nobis servet patrem in terris. sed fiat eius voluntas eius cui nolumus neque possumus intercedere. tres hosce noctes insomnes omnes duxi, quia magnis itineribus neque sumtibus neque mihi parcens ad paren-tem properabam, Tesscla nondum adesse potu-i, propter et recentem adventum meum et subitum Knivij huius γραμματοφόρου discessum, hodie eam invisam, invitaboque ~~tuo~~ tuo jussu ac nomi-ne sed ea lege atque omine ut invisam An-nam sororem invitam non adducat, quanquam vereor ut ventura ipsa sit nam, ut mihi haec conscribillanti adstans frater, an soror Ale-da indicium facit, laborat misera Tesscla febri quartana, nec sine periculo lethali.

Amstelodami in officina quadam te vidi prostantia publice duo carmina famosa in Brandium nostrum quae mittere placuit ut per otium videre ac ridere si risum ~~tuum~~, ista quae infra dignitatem tuam sunt ~~[illegible]~~ mereri videntur possis, quam-quam verum sit illud Alferdi Fenius oraculum quod λοιδορ λοιδορεῖ invidere pronunciat. Vale perillustris domine, et festinationi ignosce. Scribebam totus melancholicus somni-culosus, defatigatus denique non meus. sed tuus totus omni servitio ac submissa observantia

Henricus Bruno.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 117
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/s31

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 117
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/s31

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 117
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/s31

Mijn Heer

Mijn Heer van Zuijlichem,
Ridder, Raed en Secretaris
van Syn Hoogheyt &c

's Gravenhage

door Heer en vriend.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 117
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/s31